

כבוד ליהוה

GLORIAM

# FASCIVM PRAESIDIALIVM

ARCTISSIMO GRATIAE <sup>EX</sup> ET IVSTITIAE VINCULO,

<sup>CVM</sup>

VIR

PER-MAGNIFICVS, GENER. MAXIMEQVE  
STRENVVS DOMINVS,

DOMINVS

# IOANNES IACOB.

## BRACKEN- HAVSEN,

REIPVBLICAE ELBINGENSIS  
PRAE-CONSVL GRAVISSIMVS,

HACTENVS

## VICE-PRAESES

SVPREMVS OFFICII PVPILLARIS CVRATOR

LONGE DIGNISSIMVS,

# VRBIS PRAESIDIUM

AMPLISSIMI SENATVS AVCTORITATE,

A. R. S. MDCCCLI. PRID. ID. MARTII,

EX MERITO SVSCIPERET,

INTER PVBLICA ET PRIVATA GRATVLANTIVM VOTA,

SVBMISSO, VT PAR EST, VENERATIONIS CVLTV  
OFFICIOSE PROSEQVITVR

# GYMNASIVM ELBINGENSE,


INTERPRETE HVMILLIMO

## NICOLAO GRÜTTNERO

GRAEC. ET HEBR. LINGV. PROF. EXTRAORD. ET REV. M. CAND.

ELBINGAE,

LITTERIS PREVSSIANIS.



## AMORE & TIMORE.



instaurate diem, cives, ac addite vota  
votis devotis; gaudia *vestra* canit.

Gaudia *vestra* canit, canerem quoque tempore digna,  
digna modo & *meritis*, VIR VENERANDE, TVIS.

Suscipe, MAECENAS, aderit jam tempus, honores,  
queis TE mactari fata secunda volunt.

Suscipe Drusiadum ter fausto sidere *Fasces*,  
*Praefidis*, ALME PATER, munera laetus adi.

Laetus adi *Curas*, secura sorte capeſſe:  
Per TE, vaticinor, dulcia signa manent.

Dulcia signa choro musarum, dulcia civi,  
dulcia, si fas est dicere, signa mihi.

O! quem TE memorem, quem jam coluere clientes,  
et DECVS agnovit *sanc̄tior ordo* suum?

MAGNVM TE memorem, magnis minimisque probatum,  
GRANDE DECVS RERVVM, *Gloria cujus*, Amor.

Sint, quibus arrident veneranda cacumina Romae,  
excidat & nostri dulcis imago soli.

Laudent, qui leges posuere ac inclyta jura.  
Ille Numam, hic Titum tollit ad astra suum.

Quem stupet antiquis in rebus posthuma proles,  
qui superat gressus, splendida Roma, tuos,

Ense manuque potens Carolus, sed major amore,  
et *Pater & Judex*, terror amorque fuit.

In genere humano non est excelsior alter,  
secula vix similem fertiliora dabunt,  
Pectore qui leni populos complexus amavit,  
punit, at in *poenis* nomen *amoris* habet.  
Est factis merito vindex metuendus inquis.  
Idque volunt leges, ne decus omne ruat:  
Sed mitis placido cui spirat gratia vultu,  
is vel faxa suis dicit ad omne modis.  
Dat veniam culpae, vires, irasque remittit,  
legibus immoto sint sua jura loco.  
Mira cano, cives; humero qui sustinet orbes,  
ac nutu placido sidera cuncta regit,  
Conditor omnipotens, hominum, rerumque repertor,  
quove minante semel mundus & astra trement,  
Protinus exarsit; sed tempora distulit irae,  
alma dat in nostris jura colantur agris.  
Cumque Noas quondam perverso pandit in orbe  
justitiae leges, iussa tremenda Dei;  
Ferrea sed proles faciles rejicit habenas,  
post annos *centum* vulnera caedis erant.  
GRATIA LONGA PATRIS; sed vindex hauriet ignis  
nectentes factis irrita vota, cadent.  
Scilicet, haud posset mortalibus ulla protervis  
irascente salus paxque venire Deo.  
Ast mediator adest, pereunt certamina belli;  
Humanae vindex pacis & auctor, *amor*.  
Jam redit ad Dominum per *leges gloria regni*:  
Numine nil ingens mitius orbis habet.  
Sic me demulcent, PRAE-CONSVL, gaudia fortis,  
queis facis in cives nomina firma PATRIS.  
Quot jam lustra *Tuis meritis* lustrata dedere  
ominis & voti signa secunda sacri?  
Dissimules *Stirpem*, taceas *Nomenque Genusque*,  
optima Cumaeae secula vatis ages.  
Secula vatis ages, ridet, TIBI, *Gloria*, PRAESES,  
aucta *Patris*; per TE constet *amoris* honor.  
Parvae molis erat majorum vivere jure,  
civibus & musis cum, PATER, addis opem.  
Cumque sacrum concendis ebur, sellamque curulem,  
librando, PRAESES, singula lance pia,  
Per TE vaticinor: *fascis justaeque secures*  
his *amor*, his *terror*, *Gloria nostra* manent.

**Gloria Praefidii** tva non nisi **Gratia** justi  
quem colis in terris dulcis imago Dei.

**Gloria** Drusipoli, per te sua **Gloria** templo,  
legibus & musis **Gloria**, *noster amor.*

Macte tuo TITULO, quo te mactare SENATVS  
certat, laeta *Patris* fata, PATRONE, vide.

Drusica gens tandem per te, GENEROSE, videbit  
secula fausta, suos & sine clade dies.

Lux optata venit, redeunt spectacula vitae  
aurea, & aeternum quae paritura jubar.

Sic DVCE te fas est multum sperare salutis.

Sic DVCE te fas est ferre labore jugum.

Vive, vige, flore, sint omnia grata Lycae,  
indice quae signant tempora clara suo.

Felices populi solvendo vota parentum,  
queis sic contingit signa beata sequi.

Plaudite **Praefidio**, cives, ac discite jura,  
quae bonus exemplo provocat ipse **Pater**.

Plaudite, rursus amat, sit **Gloria**, rursus ametur,  
corda putat factis praemia justa suis.

Fronte dabis laeto tibi ut haec altaria fument;  
Sed nisi demulcent digna FAVORE tuo

Gaudia, continuem devota mente manuque.  
**Gloria** sit nobis *sacra, sacrata* tibi.

Caetera: confirmes renovati signa *Favoris*,  
ac bene, MAECENAS, consule quaeſo tuo.

